



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.  
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensiſ Princeps ||  
Elector, &c.**

**Gelenius, Aegidius**

**Coloniae Agrippinae, 1633**

Notatio ad Caput Quinquagesimum septimum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9728**

Vindicta  
cœlestis in  
martyris  
calumnia-  
torem,

**I**N eodem loco, vbi martyr passus est, Crux lignea erecta fuit. Venit  
autem eò veteranus quidam, & miraculis martyris obrectans, intra  
se ait: Quid est, quod video & audio? Homo iste tyrannus fuit, oppres-  
sor pupillorum & viduarum, superbus & avarus. Adeoque gloriæ eius  
invidit, vt nec Crucem illam æquis posset oculis intueri. Sed iustus  
Dominus. repente igne cœlesti guttur & humeros liuidi hominis in-  
flammauit. Mox ergò ducitur in ædes filiæ amicæ suæ, ibique per ordi-  
nem omnibus confitetur, quid de martyre cogitauerit. Consulunt a-  
mici, vt indutus cilicio, nudis pedibus (Erat autem tum hyemis ingens  
frigus) ad locum sacrum redeat, precibus & lachrymis martyrem sibi  
conciliet. Facit sic, & post triduum integrè sanatur. B

### Notatio ad Caput Quinquagesimum septimum.

**I**N manuscriptis Veterano huic nomen Winandus de Ge-  
uelsberg tribuitur. C.

§. In ædes filiæ amicæ suæ.

Manuscripti habent filiæ amitæ suæ.

### Caput Quinquagesimum octauum.

*De muliere qua indignè communicans dementata est.*

Pœna in-  
dignè Eu-  
christiam  
percipiētis.

**F**ŒMINA quædam in Paschate cum cæteris sacrosanctam Euchari-  
stiam percipiens, terribili Dei iudicio cœpit spumare, agitare lin-  
guam, nec tamen quicquam posse eloqui. Ante communionem sanis-  
sima fuerat: indignè accedens ad sacramentum, subito in tantum de-  
bilitata est, vt nullum membrum mouere posset. Ab ineunte enim æ-  
tate admodum dissolutè vixerat, & multis onusta peccatis, tam salutæ-  
rem medicinam prorsus imparata sumpsit. Itaque sacra corporis Chri-  
sti communio non remedium ei attulit, sed tormentum. Periculosum  
est ægro obstipato, vt medicina fortiter aluum ciente, nisi prius sumat  
quippiam, quo peccans materia digeratur. Ita ergò peccator obstina-  
tus & induratus, ne medicinam corporis Christi ad iudicium accipiat,  
peccatorum virus & noxios humores contritione & confessione prius  
dige- D